

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0331

0329

0335

0325

0340

0320

0380

0280

0430

0230

0830

318

Post istam ergo emigrationem Christianorum a terra sancta octo annis venit praefatus Tartarorum imperator Casanus, bonus Christianus, et cepit terram sanctam et Jerusalem et tradidit eam nostris praelatis et principibus, sed non fuit, qui levaret manum ad transeundum, ut supra dictum est. Unde propter istam ingratitude alienata est terra sancta a nobis adeo, ut non sit amplius quasi cogitatus de rehabendo eam, nec est amplius via, nisi Deus aliquo miraculo velit operari ad hoc. In hac ergo ultima emigratione Christianorum a terra sancta non remanserunt in Syria Latini aliqui, nisi fratres Praedicatorum; Minores et Carmelitae acceperant etiam quaedam loca per Syriam, in quibus jussu Papae manserunt ad tempus, quousque per Sarracenos profligati, occisi et exterminati fuerunt.

Quomodo civitas sancta Jerusalem stetit post Christianorum latinorum expulsionem, et qualiter in eam fratres Minores sunt locati, et [de] passagiis Christianorum pro redemptione terrae sanctae.

Multis annis stetit civitas sancta Jerusalem post expulsionem Latinorum sine latinis sive romanis Christianis, nam ut dictum est supra, emigrantibus Latinis de Jerusalem subintraverunt Christiani orientales, monstruosi haeretici et schismatici, in locum Latinorum, et ecclesias a Latinis aedificatas possederunt, nec fuit admissum Latinis, ut aliquem locum in urbe sancta haberent, nec mittebantur terram sanctam et civitatem Jerusalem intrare, nisi cum cautissima deductione Sarracenorum et cum salvo conductu et cum gravissimo thelonio, et quando veniebant peregrini Jerosolymam, non habebant divina Officia, nisi schismaticorum et haeticorum, nec aliquam habebant consolationem. Hoc autem intolerabile erat ecclesiae latinae et occidentalibus, qui ferventissimo zelo afficiuntur locis sanctis. Unde post emigrationem Christianorum a terra sancta res illa devenit ad aures Papae Nicolai hujus nominis IV, qui erat ordinis Minorum, et electus fuerat in Papam anno Domini 1287. ante perditionem Acconensem.

Ende

Anfang